

Jamblichus, Philosophus Syrus; dein anno LXVIII. ab Eckio, de Darete Phrygio disputante, defensor lectus. Cœperat iam inde ab aliquot annis suam legitimæ scientiæ cognitionem privatim docendo in aliorum usum transferre; sed hoc reliquum erat, ut operæ in his literis collocatæ rationem publice ederet. Igitur anno LXXIII. Historiæ iurisdictionis ecclesiasticæ, ex legibus utriusque Codicis illustratæ, primam, quam scripserat, partem, Segero Præside, e cathedra defendit, mox anno sequente lectionibus solennibus, super Cap. XXXI. X. de Sponsal. et matrim. et L. XXX. Cod. de inoffic. testam. habitis, ad examen primum, quod pro Candidatura vocant, admissus, et Baccalaurei utriusque iuris dignitate ornatus est, ex qua id sibi commodi natum ait, ut iam publice iurisprudentiam posset profiteri. Aditum etiam ad forum, causasque orandas, datis nuper eam ob rem ad Serenissimum Principem Electorem literis, parantem, Notarium publicum Cæsareum creavit Senatus Lipsiensis amplissimus. Honores denique in Philosophia summos, petenti, Ordo Philosophorum ampliss. diplomate proposito, his ipsis diebus detulit.

## GODOFREDVS GVILIELMVS PVFENDORF

LIPSIENSIS.

**P**istoris filius, natus anno huius Seculi XLV. patre cognomine, matre Maria Elifabetha Bolenzia. Quorum parentum in se educando curam, digne laudare se non posse ingenue fatetur. Primis annis in schola Thomana præceptores habuit Ermlerum et Mathesium, quorum institutione tantum profecit, ut anno LX. in scholam Portensem ampliss. Senatus Lipsiensis, inprimis autem illustr. Bornii beneficio, transire posset. Hic omnium, qui ibi bonas litteras docebant, præceptorum, doctrina atque benevolentia, potissimum Grabeneri, Hentschelii, et Geisleri, usus est, quod ille numquam grata mente recolere desinet. Sexennio elapso rediit in patriam, nomenque dedit Academiae anno LXVI. me rectore. Primum omnium frequentavit scholas eorum, qui graecas et latinæ litteras docerent; quam ob causam interfuit praelectionibus Ernestii, Mori, cum utriusque linguae scriptores interpretarentur.

Lingua